

Praeterea testis mendax talionis poenae subiacebat, eidem scilicet poenae quae debita fuisset crimini, de quo mendaciter deposuerat Deut. XIX, 16-19. Erga servos poena talionis dominos non afficiebat, sed tantum servum vel ancillam laesos dimittere tenebantur Ex. XXI, 26-27. Haec tamen decurrentibus aetatibus ita mitigata fuerunt ut in postrema saltem aetate transactio admitteretur, et reus praesertim data pecunia a poena talionis subeunda sese eximere posset.

§. III. De aliis diversi generis poenis.

1° *Sacrificium pro peccato* imponebatur pro violatione legum praesertim coereimonialium non plene deliberata, et quidem alia sacrificia exigebantur pro his transgressionibus quae in Lege vocantur חַטָּאוֹת *peccata*, alia vero pro iis quae appellantur אֲשָׁמוֹת *delicta*, quamvis huius distinctionis ratio non satis clara sit (Lev. IV et V; Num. XV, 27 seqq.). In casu delicti etiam confessio eiusdem coram sacerdotibus exigebatur, et praeterea in quibusdam casibus ad indemnitatem praeter victimam quinta pars pretii addenda erat (Lev. VI, 4-5; Num. V, 5-10). De his sacrificiis satis dictum est in Sectione I, cap. IV.

2° *Excommunicatio*. Saepe in Scripturis de peccatoribus quibusdam pronunciatu comminatio, vel sententia ut *excindantur de populo*. Quamvis autem non semper hoc intelligendum sit de excommunicationis poena, sed aliquando de poena mortis infligenda imprimis lapidatione (Lev. XVII, 4; XX, 10-18 etc.), dubium tamen non est aliquando veram excommunicationem seu privationem honorum aut iurium spiritualium, et separationem a fidelium communione inflictam sententiam fuisse; cuius rei exemplum occurrit 1 Esdr. X, 8, ubi Esdras ad coetum venire recusantem damnat honorum spoliatione, et excommunicatione: « auferetur universa substantia eius, et ipse abiicietur de coetu transmigrationis: » et in Evangelio Christus praedicit Apostolos suos hac poena multandos fore a Iudaeis Luc. VI, 22: « Beati eritis.... cum separaverint vos » et Io. XVI, 2: « Absque synagoga facient vos. » Praeterea Io. IX, 22 legitur: « Iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. » Cfr. etiam XII, 42. Recentiores Iudaei tres species excommunica-

tionis distinguunt, quarum prima est levis, et vocatur נִדְדוּי *Niddui*, idest, separatio simplex a synagoga et consortio piorum, secunda gravior quae vocatur חֶרֶם *Herem*, seu *anathema*, quae cum imprecationibus solemniter irrogatur, et secumfert plenam separationem a communione Iudaeorum, exceptis iis quae ad victum necessaria sunt, tertia gravissima quae vocatur שְׁמָטָה *Sciamata*, quae omnis prorsus communio cum Iudaeis interdicatur ac reus iudicio Dei relinquitur: vox ista formulam imprecationis solemnem continere videtur, et duabus vocibus constare שָׁמ אֱתָא *Deus venit* (nam Rabbinus שָׁמ ponunt pro nomine *Dei*) atque ita conveniret cum *Maranata* מָרְןָ אֱתָא *Dominus noster venit*, quae formula utitur Paulus in anathemate pronuncians 1 Cor. XVI, 22. Idem Paulus hoc diro anathemate percussit incaestuosum Corinthium, illum *tollens de medio fidelium, et tradens Satanae in interitum carnis* (1 Cor. V, 2-5); quod etiam praestitit cum praevicatoribus in fidem Hymenaeo, et Alexandro 1 Tim. I, 19-20.

3° *Infamia*. Poena infamiae contra vivos in Lege Moysi non irrogatur, post mortem vero triplici modo inferitur; 1° lapidatorum cadavera in odium criminis comburenda erant, saltem ex consuetudine (Lev. XX, 14; XXI, 9). 2° Cadaver rei in arbore, vel stipite, seu cruce suspensum relinquebatur usque ad vesperam, et hoc in signum divinae maledictionis (Num. XXV, 4-5; Deut. XXI, 22-23). 3° Lapidum acervus in detestationis signum supra cadaver vel tumulum ubi supplicio affectus iacebat (Ios. VII, 25 seqq.; 2 Reg. XVIII, 17) erigebatur.

CAPUT III.

DE RE MILITARI HEBRAEORUM

In re amplissima ut ordini simul et brevitati consulamus, ceteris omissis, dicemus primo de ipsis militibus ac exercitu Hebraeorum, deinde de armis tum offensivis tum defensivis, ac de bellico apparatu, postremo de bello aliisque militaribus operationibus: simul vero obiter dicemus de re militari aliarum gentium cuius mentio in Scripturis occurrit.

ARTICULUS I.

DE MILITIBUS, EORUMQUE ORDINIBUS

Donec Patriarchale vitae genus apud Hebraeos mansit milites proprie dicti nulli erant, sed cum adversus hostes pugnandum esset, itemque ad sui defensionem servis, seu vernis utebantur, quorum magnus numerus Patriarchis praesto erat, ut apparet ex gr. ex historia Abraham, et Lot (Gen. XIII, XIV). Ex eo autem tempore quo Hebraei ex Aegypto egressi in distinctum populum evaserunt militiam proprie dictam habere, et militarem artem excollere coeperunt, et in omnibus sequentibus aetatibus, continuis fere bellis exercitati, bellicae virtutis famam non exiguam sibi compararunt: nec defuerunt illis nobilissimi duces, ut imprimis Iosue, David, et Iudas Machabaeus, nec singularis fortitudinis exempla, ut ea quae narrantur 2 Reg. XXIII, 8-24 de fortibus David, item plura facta in Libris Machabaeorum narrata.

§. I. De militum delectu, ac conditione.

Usque ad tempora Regum non videntur fuisse apud Hebraeos milites delecti, qui vitam militarem degerent, sed omnes cives, qui pacis tempore suam quisque artem exercebat, parati esse debebant ad arma sumenda quoties belli periculum instaret, ut ex Libris Moysi, Iosue et Iudicum apparet. Aetate Davidis copiae militum regulariter conscriptorum occurrunt (2 Reg. XXIII; 1 Paral. XI et XXVII), imo et centum millia militum Israelitarum mercede conductorum ab Amasia rege Iuda, quos tamen iussu Prophetiae dimisit (2 Paral. XXV, 6-10). In censum vero militum videntur relati fuisse omnes Hebraei inde ab anno XX, exceptis iis qui certa quadam de causa a militia eximebantur (Deut. XX, 5 seqq.) scilicet 1° qui domum aedificabant, nec dum ad exitum perduxerant, 2° qui vineam aut olivetum plantaverant, et nondum inceperant percipere fructus, 3° qui mulierem sibi desponsaverant, et nondum acceperant, aut qui uxorem iam duxerant intra annum a celebrato matrimonio, 4° formidolosi et pavidi, ne scilicet reliquis timorem iniicerent. His itaque exemptis, ceteri in censum referebantur a scribis

seu *scioterim* שִׁוְרִיִּים (Deut. XX; Num. XXV; 2 Reg. VIII, 17; XX, 25) non tamen omnes in bellum prodibant, sed certus tantum numerus ex singulis tribubus, quamvis aliquando omnes indiscriminatim ad arma vocarentur (Iud. XX; 1 Reg. II, 17). Milites stipendia non accipiebant, sed suis facultatibus et victum, et arma sibi comparabant, idque non modo in antiquiori aetate, sed etiam sub regibus, exceptis regis copiis, quae sub Davide et Salomone regis palatium custodiebant, et ad regis nutum paratae semper aderant: pro stipendio militibus erat praeda, quae ad eos iure pertinebat post partam victoriam. In postrema tamen aetate sub Simone Machabaeo, exemplo Graecorum, stipendia militibus solvi coeperunt, eademque disciplina sub Romanorum dominatione servata est, ita ut Apostolis familiaris esset, ut apparet ex Luc. III, 14, et ex illo Pauli 1 Cor. IX, 7: « Quis militat suis stipendiis unquam? »

§. II. De militum divisione, ordinibus ac ducibus.

Exercitus Hebraeorum, ut apud alias gentes, dividebatur in pedites, equitatum ac currus bellicos; rursus pedestris exercitus pro vario armorum genere dividebatur in *velites* qui funda, iaculis, et sagittis eminus pugnabant, et *hastatos*, qui hastis, gladiis, ac sento armati cominus dimicabant (1 Reg. XXX, 8, 2 Reg. III, 22; IV, 2; XXII, 30; Psalm. XVII, 30; 1 Paral. XII, 24, 34; 2 Par. XIV, 7; XVII, 17); velites potissimum ex tribu Benjamin et Ephraim deligebantur (Gen. XLIX, 27; Ios. XX, 16; Psalm. LXXVII, 9; 2 Par. XIV, 7; XVII, 7).

Rursus vero totus exercitus in varios ordines, seu agmina divisus erat. Saepe quidem in Scripturis innitur divisio totius exercitus in tres partes (Iob. I, 17; Iud. VII, 16; 1 Reg. XI, 11; 2 Reg. XVIII, 2) sed haec non stabilis divisio videtur fuisse, sed in ipso tantum praelio, ita ut tria illa agmina nihil aliud essent quam quae nunc dicuntur ala dextera, ala sinistra et centrum exercitus bellantis, ut ex citatis locis apparet. Cum Hebraei egressi sunt de Aegypto sub Moysi imperio militari more processisse dicuntur *per turmas suas* (Ex. XII, 31); quinam autem ordo exercitus fuerit non satis clare innotescit: legimus quidem Ex. XIII, 18 eos incessisse תַּבְּסִיִּים quod iuxta vocis etymologiam significaret eos in turmas quinquaginta virosum distributos fuisse, sed posset accipi etiam de ordinibus seu fineis, quae quinquaginta viris singu-

lae constarent; quinimo Vulgata latina vocem illam reddit: *armati* nulla habita ratione numeri (Ex. XIII, 18; Jos. I, 14). Certiores itaque sunt divisiones sequentes: minores nempe in turmas 50, et 100 militum, illis praeerant *principes quinquagenarii* (4 Reg. I, 9-14, Is. III, 3), his vero *centuriones* (1 Reg. VIII, 12; 4 Paral. XIII, 1; 2 Paral. XXV, 5); maiores autem divisiones erant in 1000, et 10,000, quibus praeerant *tribuni et chiliarchae* (1 Reg. XVIII, 13; 4 Paral. XIII, 1). Sub rege David exercitus (virorum 298,000) dividebatur in duodecim legiones, quarum singulae 24,000 virorum complectebantur, et suis ducibus parebant (1 Paral. XXVII). Sub Iosaphat exercitus in quinque inaequales partes distributus erat, quibus quinque duces praeerant (2 Paral. XVII, 14 seqq.). Sub rege Ozia exercitus pertingebat ad 307,500 viros, duces autem maiores et minores ad 2700 (2 Paral. XXVI, 11-14). Ceterum universo exercitui praeerat *supremus dux* seu imperator, qui sub Saul fuit Abner, sub David autem Iosb filius Sarviae sororis David. Qui conscriptionem curabat et magnam in aula regis et in exercitu potestatem habebat dicebatur *סֵפֶר סֵפֶר* *Scriba*. Praeter supremum hanc scribam alii quoque aderant scribae, seu *Sopherim* rei militaris administrationi addicti, de quibus saepe fit mentio in libris Regum et Prophetarum (4 Reg. XXV, 19; Is. XXXIII, 18; Ier. XXXVI, 12). Etiam alii ministri *scioterim* dicti saepe militaribus officiis fungebantur, ut alibi dictum est. Erant quoque milites qui Regis personam, et palatium specialiter tuebantur: aetate Davidis, et deinceps nominantur duae cohortes fortium virorum extraneorum regis custodiae addictae, quae vocabantur *Cerethi* et *Phelethi* (2 Reg. XV, 18; XX, 7; 3 Reg. I, 38; 4 Reg. XI, 19); praeterea triginta septem viri fortes Davidi aderant, qui recensentur 2 Reg. XXIII, inter eos autem praecipui erant sex in duo ternaria divisi secundum gradum fortitudinis, et bellicae virtutis, quorum heroica gesta narrantur ibidem v. 3-24. In regno Salomonis nominantur « *sexaginta fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladium, et ad bella doctissimi.* » (Cant. III, 7, 8). Sub Roboam fit mentio de *scutariis*, et ducibus scutariorum, nec non de *cursoribus*, qui scuta primum aerea, tum vero aerea ante regem praeferebant cum Templum adiret (3 Reg. XIV, 27 seqq.).

Apud Persas exercitus dividebantur in agmina 1000, 10,000, 100,

et 10 militum, quibus praeerant duces decem millium, chiliarchae, centuriones et decuriones (Herodotus histor. lib. VII, c. 81).

Apud Romanos, de quorum re militari non semel fit mentio in Sacris Literis, exercitus dividebatur primo in *legiones*, legio autem in 10 *cohortes*, cohors in tres *manipulos*, manipulus denique in duos ordines, seu *centurias*, ita ut regulariter cohors 600 militibus constaret, legio autem 6,000: verum hic numerus non semper servatus est. Legio autem quatuor militum genera complectebatur 1° *velites*, 2° *hastatos*, 3° *principes*, seu milites selectos et robustiores, 4° *triarios*, seu *pilanos*, qui pilo, seu gravi et longiore hasta pugnabant. Toti exercitui praeerat Dux seu *Imperator*, cui aderant duo vel plures *Legati*. Huic suberant *Tribuni* olim tres, deinceps sex pro qualibet legione; deinde *Centuriones* qui singulis manipulis imperabant. Acedebant *Quaestor militaris* (pro expensis), *Praefectus evocatorum* (militum emeritorum), *Praefectus castrorum*, et *Praefectus fabrum*. Equitatus legioni adiectus vocabatur *ala*, et dividebatur in 10 *turmas*, hae autem in tres *decurias*: dux equitatus *Praefectus equitum* dicebatur. Cohortes Romanae in Palestina erant aliae 1000 peditum, aliae 600 peditum, et 120 equitum (Ioseph Fl. Bel. Iud. III, 4, 2; Mat. XXVII, 27 seq.; Mar. XV, 16; Act. X, 1; XXI, 31; XXVII, 1). *Centuriones* Romani saepe nominantur in Evangelio, et in Actis.

ARTICULUS II.

DE ARMIS MILITUM HEBRAEORUM, ET DE BELLICO APPARATU

Arma alia erant defensiva, alia offensiva; his addendi sunt curvatae bellici, item machinae, et signa seu vexilla.

I. *Arma defensiva* erant 1° *clypei*, quorum variae species in Scripturis memorantur variis nominibus designatae, alius dicebatur *maghen* מַגֵּן, et erat clypeus minor; alius *tsinnah* צִנְהָה clypeus maior totum corpus tegens, denique *sahherah* סַהְרָה clypeus rotundus, seu *parma* (3 Reg. X, 16, 17 coll.; 2 Paral. IX, 16); quibus addendi videntur *scelatin* שְׁלֵטִים incertae formae (4 Reg. XI, 10 coll.; 2 Paral. XXIII, 9; 2 Reg. VIII, 7; 1 Paral. XVIII, 7 seq.). Clypei plerumque erant ex ligno pellibus taurinis contexto, vel

etiam omnino ex corio, raro aerei, aut lamina aerea, sive argentea, aut etiam aurea cooperti. Amittere clypeum in praelio ignominiosum erat, hostium clypeos arripere et colligere gloriosum (3 Reg. XIV, 26; 2 Par. XII, 29; 2 Reg. I, 21). 2° *Galea* כַּבַּע vel כִּבְעֵעֵ אolim bastatis tantum concessa fuisse videtur, deinceps vero reliquis militibus, fortasse exemplo Chaldaeorum, qui omnes galeati pugnabant (Ezech. XXII, 24; Ier. XLVI, 4). Galea ex corio confecta, aliquando etiam aeneis laminis obducta totum caput, frontem ac verticem muniebat, desuper crista ornata: in Scripturis saepe metaphorice accipitur pro munimine, vel praesidio imprimis morali (Ephes. VI, 17; 1 Thess. V, 18); 3° *Lorica*, seu *thorax*, שְׂרָיוֹן, פְּרִיָוִן plerumque duabus partibus constabat, quarum altera pectus et ventrem, altera tergum muniebat, et squamis aereis contexta erat; inde ab aetate Davidis invaluisse videtur (1 Reg. XVII, 5, 38; 2 Par. XXVI, 14). 4° *Ocreae* aeneae memorantur in descriptione armaturae Goliath gigantis (1 Reg. XVII, 6); sed Hebraeis nunquam communes fuisse videntur: Isaias IX, 4 mentionem facit de ocrea כַּאֲרָן.

II. *Arma offensiva* erant potissimum sequentia: 1° *Gladius* חֶרֶב, qui cingulo אָוֹרִד suspendebatur; aliquando metaphorice accipitur pro bello (Ier. XIV, 12 seqq.; Matt. X, 34) in N. T. aliquando vocatur *machaera*, μαχαίρα, 2° *hasta*, רַבֵּחַ seu lignea sudes cuspidate ferrea munita, et modo longior modo brevior. His accedebant arma missilia, nempe 3° *iacula*, הַנִּיתִים seu breviores lanceae in hostem iaculandae quibus velites utebantur: horum singularis species erat כִּידוֹן quod a הִנִּית distinguitur Iob. XXXIX, 23, eoque maior fuisse videtur. 4° *Arcus*, קֶשֶׁת et sagittae inde הַצִּיִּים a tempore Patriarcharum usitata (Gen. XXI, 17; XLIX, 22). Sagittarii permulti erant inter velites, et celebriores erant ex tribu Ephraim et Benjamin (1 Par. VIII, 18, 39; XXI, 2; Psalm. LXXVII, 13). Sagittarii Persarum in Scripturis laudantur (Is. XIII, 18; Ier. XLIX, 35; L, 14). Arcus erant lignei, aliquando aerei (Ps. XVIII, 33; Iob. XX, 24). Ad tendendum arcum unam eius extremitatem contra humum pede premebant, sinistra manum alteram extremitatem flectebant, dextera vero nervum stringebant et sagittam dirigebant; hinc phrasim *calcere* דָּרַךְ arcum in Scri-

pturis est arcum tendere (Is. V, 28; XXV, 15; 1 Paral. V, 18; VIII, 40). *Sagittae* ex levioribus lignis confectae erant, et cuspidate ferrea munitae. *Phaetra* תְּלֵי formae pyramidalis ad tergum gestabatur, arcus vero in humero sinistro. 5° *Funda* קֶלַע inde a remotissima antiquitate usitata (Iob. XIV, 19 seq.) in bellis quoque magno usui erat, et funditores קֶלַעִים inter velites numerari solebant: Beniamitae laudantur eo quod sinistra aeque ac dextra uti scirent in torquenda funda, et « sic funditis lapides ad certum iacentes ut capillum quoque possent percutere » (Iudic. XX, 16. Cfr. etiam 1 Reg. XVII, 49).

III. Ad *machinas*, quae serius inductae fuerunt sub Regibus, referendae sunt 1° חִשְׁבֵנוֹת *hisbenoth* de quibus legitur 2 Paral. XXVI, 15: « Et fecit (rex Ozias) in Ierusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, et in angulis murorum, ut mitterent sagittas et saxa grandia » (1) quare nihil aliud videntur fuisse quam *ballistae*, et *catapultae*; illae ad lapides iaciendos, hae vero ad maiora iacula, aut etiam trabes mittendas accommodatae, ut apud Graecos et Romanos. 2° *Arietes* bellici, seu ingentes trabes ferreo, vel aeneo capite instructae, quae iteratis ictibus muros perfodiebant, vel quassabant; de his primum mentio fieri videtur Ezech. IV, 1 seq.; XXI, 22; XXVI, 9 sub nomine כְּרִיִּים ubi de apparatu bellico Chaldaeorum sermo est, sed eos ab Hebraeis quoque receptos fuisse vix dubitari potest. 3° His addi possent *barqanim* בְּרִקְנִים quibus Gedeon dicitur occidisse principes Soccoth (Iud. VIII, 7) et *haritsim* הַרִיצִים quorum ope David contrivit et trucidavit viros Ammonitas (2 Reg. XII, 32): quamvis hae non videntur proprie fuisse machinae bellicae, sed instrumenta ab agricolis usitata ad spicas contundendas; quae solum pro data occasione ad hostium stragem edendam convertebantur.

IV. *Currus bellici* ut praecipua pars bellici apparatus haberi coeperunt aetate Salomonis. Duae vero currum species in Scripturis distinguuntur: alii enim regibus et ducibus vehendis tantum inserviebant, alii vero ad pugnam destinati erant, et ad hostes profligandos; hi quidem bellatores armatos gerebant, ac praeterea longis faleibus armati erant ita ut quando in hostes concitato cursu

(1) Hic locus 2 Par. XXVI, 14-16 notatu dignus est, utpote qui paucis verbis totum bellicum apparatus Hebraeorum describat, et propriis vocabulis singula arma designet.

immittebantur magnam stragem ederent (3 Reg. X, 26; XXII, 32-33; 4 Reg. II, 12; 2 Paral. I, 14). Horum forma varia admodum fuit apud veteres, quibus usus horum curruum communis erat (V. Diod. sicul. I. XVII; Quint. Curt. Lib. IV; Xenophon Cyropaed. L. VI; et Anab. lib. 1). Ingens numerus curruum bellicorum tribuitur in Scripturis exercitibus Aegyptiorum, Philistinorum, Cananaeorum, Chaldaeorum, Syrorum; sed apud Hebraeos non videtur eos ad bellum adhibitos fuisse ante tempora Salomonis, qui magnam curruum copiam sibi extruxisse dicitur (3 Reg. IV, 26).

V. *Vexilla* exercitus et *signa* saepe in Scripturis nominantur cum historice tum metaphoricè. Sunt autem tria vocabula quibus ea designantur: דָּגֵל *deghel*, נֶסֶם *nes*, et אוֹת *oth*: quorum postremum generice *signum* denotat, alia duo fortasse diversa vexillorum genera, quorum tamen discrimen impossibile est nunc dignoscere. Verosimile est singulas tribus diversa vexilla gestasse, idque etiam expresse narrat Rabbinus describentes formam uniuscuiusque, et figuras animalium iis intextas una cum sententiis S. Scripturae. Vexillis Machabaeorum intexta fuisse verba Ex. III, 12 multi existimant, et inde nomen Machabaeorum derivatum fuisse autumant, ut alias declaravimus.

ARTICULUS III.

DE BELLO, ALIISQUE MILITARIBUS GESTIS

I. *Ius belli*, ut exponitur in Lege Deut. XX, 10-20, paulo durius ac crudelius prima fronte videtur: praecipitur enim ut expugnata aliqua civitate omnes viri gladio interimantur, et reliqua in praedam militibus cedant, imo in civitatibus Chananaeorum omnes omnino iubentur necari, etiam mulieres, et infantes. Verum recolendum est non solum tunc apud alias gentes non minus crudelem fuisse bellorum rationem, sed etiam, et praecipue, Chananaeos iusto Dei iudicio ab ipso Deo exterminio devotos fuisse, ut in loco citato, et alibi passim legitur, cuius sententiae executionem Deus Hebraeorum genti commiserat, ut magis magisque ab idololatriis eorum abominationibus deterrerentur, simulque periculum corruptionis removeret quod ex commercio cum illis, ac ex coniu-

gio cum eorum mulieribus inito facile ortum fuisset (ib. 18). Ceterum erga alias gentes rigor belli sapientibus legibus temperabatur. Praeceptum enim erat hostium civitatibus primum offerre pacem, quam si acceptassent nefas erat eos laedere, sed imposito tantum tributo dimittendi erant (ib. 10 seq.); insuper cautum erat ne in oppugnanda civitate succiderentur arbores pomiferae, aut agri vastarentur (ib. 19 seq.). Denique posterioribus aetatibus Iudaeos mitiori modo in bellis se gessisse plura sunt quae suadent.

II. *Praeliminaria belli* erant 1° Deum consulere per Urim ac Thummim, aut per ministerium alicuius Prophetae, si praesto esset, oblato etiam plerumque Sacrificio. 2° *Bellum indicere* missis hinc inde epistolis, vel legatis et oratoribus (Iudic. XI, 12-27; 2 Par. XXV, 17; 4 Reg. XIV, 8) excepto casu belli repente irruentis, quo in casu signis in vertice montium erectis, clamoribus, clangore cornuum, et celeribus nunciis hac illuc discurrentibus exercitus cogebatur, et bellum incipiebat. 3° Sacerdos ante praelium exercitui benedicebat, et ad fortiter pugnandum hortabatur (Deut. XX, 2 seq.). 4° Demum Sacerdotes classicum cecant (Num. X, 9; 2 Par. XIII, 12-14), et mox praelium committebatur.

III. *Ipsum praelium* nullibi in SS. Literis describitur, nec facile esset eius modum, et ordinem definire. Suspiciuntur nonnulli absque certa disciplina praelia peracta fuisse, sed pleraque relicta fuisse militibus, qui plerumque singuli singulos hostes impetebant. Aliquis tamen ordo proculdubio teneri debuit; probabilius, ut apud alias gentes, velites praelium inchoabant, mox vero hastarii instructa phalange praecipiti cursu in hostem irruerant, postremo equitatus et currus bellici immittebantur. Solebant autem milites hostem aggredientes clamores attollere, et ululare (Ios. V, 20; Iud. VII, 20; 1 Reg. XVIII, 32; Is. V, 29 seq.; VI, 3, 16); stratagemate saepe utebantur, et insidiis ad faciliorem et pleniorum de hostibus victoriam (Ios. VIII, 12; Iud. XX, 39). Demum buccinae clangore finis praelii indicabatur (2 Reg. XVIII, 16). Victoriis omnia in praedam cedebant non spolia tantum et arma, ac divitiae, sed homines quoque qui in servitutem vendebantur; hoc tamen iure non semper utebantur Hebraei, sed plerumque spoliis contenti hominibus libertatem cum vita relinquebant. De strage

hostium post victoriam supra dictum est, quibus addi possent atrocitas multa in victos patrata (2 Reg. XII, 31; 1 Par. XX, 3; Iud. VIII, 8; 4 Reg. VIII, 12; Is. XIII, 17-18; Osee X, 14; Am. I, 13), quae tamen praeter legem fiebant sive ob abusum ab exasperatis militibus, sive ad terrorem hostibus incutiendum. Victoria magnis clamoribus ex collibus undique proclamabatur, et magna laetitia celebrari solebat, mulieribus quoque obviam victoribus procedentibus cum citharis et tympanis, choreasque ducentibus.

IV. *Obsidiones* urbium defecto machinarum diuturniores erant. Hinc saepe circumvallatio extruebatur qua saepe fiebat ut obsessi fame, siti, morbis confecti ad deditionem adigerentur (2 Reg. XX, 15; 4 Reg. XXV, 1; Ier. LII, 4; Exech. IV, 2; XVII, 17; XXI, 17). Alioquin urbem vel stratagemate, et insidiis, vel repentino et violento assultu occupabant. Interim obsessi missilibus armis hostes laedebant, et accedentes a moenibus propulsabant; interim vigiliae et excubiae in vertice turrium et in vicinis montibus omnia observabant, et per signa vel nuncios quae ad hostes pertinerent illico significabant. Obsessis pax primo offerenda erat, ut supra vidimus, quam si acceptassent seniores vel magistratus extra moenia egredientes hostium castra adibant ut de pace cum exercitu duce tractarent: sin autem oblatam pacem recusassent, hostes omni commercio inter urbem et circumstantem regionem interrupto, et extracto, si opus esset, vallo, urbem adoriebantur, aut moras nectebant, donec occasio sese offerret, aut obsessi fame ad deditionem adigerentur.

V. Milites hebraei tempore pacis ad bellum exercebantur, ut in Scripturis saepe innuitur phrasibus: *ad bellum instruere, docere manus ad bellum*, et aliis similibus: quibus autem modis id fieret incertum est. Ludi athletici, gymnastici, et gladiatorii, procul dubio ad hoc conferebant; horum tamen usus apud Hebraeos non videtur antiquior epocha Machabaeorum, cum exemplo Graecorum, gymnasium Hierosolymae extractum est (1 Mach. I, 14 et 15; 2 Mach. IV, 12-14) exinde vero praesertim sub Herode rege satis communes effecti sunt, contradicentibus licet optimis Iudaeorum; hinc frequens in N. T. ad hosce occurrit allusio, ut ex. gr. Paulus, ex iis qui in stadio currebant ad merendam coronam (βραβειον *braveium*), imaginem ducit 1 Cor. IX, 24-27; 2 Tim. IV, 7 et 8;

Phil. III, 14-14, et ad caestum, et pugiles alludit 1 Cor. IX, 26; alias quoque mentionem ingerit de legibus, quibus ad vires augendas illi se subiciebant (1 Cor. IX, 25). Antiquius ludi genus apud Hebraeos, quod aetate Hieronymi adhuc in usu erat, occurrit Zach. XII, 3, quo scilicet iuvenes grandioribus saxis levandis vires exercebant, ut qui lapidem altius attolleret victor haberetur. Romanorum ludi gladiatorii notiores sunt, quam ut hic describendi sint; ad eos etiam nonnunquam alludunt Hagiographi N. T. in primis Paulus 1 Cor. IV, 9; Hebr. X, 33.

CAPUT IV.

DE PONDERIBUS, MONETIS, AC MENSURIS

Ultimo loco de ponderibus, monetis ac mensuris hic pauca addere visum est, cum haec ad politicam et societatem populorum vitam magis proprie pertineant.

ARTICULUS I.

DE PONDERIBUS AC MONETA CUSA

Commercium inter homines primitus agebatur simplici rerum permutatione, ut scilicet quisque res quibus abundabat cum rebus quibus indigebat permutaret. Verum ad expeditiorem usum mature admodum pecunia inducta est, quae res omnes quodammodo repraesentaret. Haec quidem initio nihil aliud fuit quam pondus aliquod metalli nulla certa forma, nulloque signo munitum: serius autem publicae auctoritatis iussu atque opera certa forma adhiberi coepit, una cum determinata effigie, atque ita originem habuit pecunia signata, quae proprie *moneta* dici solet. Apud Hebraeos ante captivitatem Babylonicam nullum vestigium monetae signatae occurrit, sed pondera tantum: scilicet aurum et argentum in parvas massas divisa in bilance appendebantur, ac ope lapillorum in altera lance eorum pondus definiabatur. Hinc emptores ac venditores lapillos istos in marsupio gestare solebant, ad quem usum alludens Moyses dum iniusta pondera prohibet, ait: « Non habebis

in saeculo lapidem et lapidem, magnum et parvum, sed habebis aequalem et iustum » (Deut. XXV, 13-15). Praeterea ad fraudes cavendas praecipit modulus uniuscuiusque ponderis in Tabernaculo adservari, et Sacerdotibus commisit ut ad eos alia pondera ac mensuras exigent (Exod. XIII, 13; Lev. XXVII, 25; 1 Par. XXIII, 29). Huiusmodi normae deinceps in Templum transierunt, ibique usque ad Hierosolymae excidium manserunt, et vocari solebant *pondera Sanctuarii*; sacerdos etiam ibi constitutus fuisse legitur *super omne pondus atque mensuram* (1 Par. XXIII, 29). Post reditum ab exilio Hebraei, praeter pondera ac nummos sibi proprios, aliarum quoque gentium, Persarum scilicet, Graecorum, ac Romanorum nummos usu receperunt, qui proinde in Scripturis passim commemorantur, et ab Hebraeis sedulo distinguendi sunt. De singulis breviter dicendum.

I. *Pondera et nummi Hebraeorum.*

1. Praecipuus Hebraeorum nummus erat שקל *Seckel*, quae vox a radice שקל ducta nihil aliud quam *pondus* significat, sed a Graeco et Latino interprete simili voce redditur σικλος, *siclus*. Erat autem siclus sive aureus, sive argenteus, qui alter in Scripturis brevilitatis causa simpliciter *argenteus* dicitur, ut Matth. XXVII, 3, ubi sermo est de pretio Iudae proditori a Sacerdotibus tradito. Ad praecisum valorem quod attinet Iosephus Antiquitatum Lib. III, Cap. 8 affirmat siclum quatuor drachmas Atticas valuisse, quae respondent semi-unciae romanae: cum autem idem pondus esset tum auroi sicli tum argentei, colligi potest siclum argenteum plus minus 3 libellas gallicas, seu francos valuisse, aureum vero multo pluris.

2. Siclus dividebatur in duas *Bekas*, בקה, rursum vero in 22 *Gheras* גרה quae in Vulgata vocantur *oboli* (Num. XVIII, 16).

3. *Mina* מנה valebat 100 siclos argenteos (3 Reg. X, 17; 2 Par. IX, 16, in textu Hebr.).

4. *Talentum*, Hebr. ככר *chicar*, valebat 3000 siclos, seu 9000 libellas Gall. (Exod. XVIII, 24-26).

5. Nominatur etiam alius nummus hebraice dictus *Kestitah* קטיטה quem vulgata *Agnum* vocat Gen. XIII, 19, ubi de agro ab Abraham empto sermo est: sed eius valor incertus.

6. Sub Machabaeis coeperunt Hebraei nummos cudere, quorum nonnulli adhuc supersunt: ex his alii nomen Simonis Ponti-

fici gerunt, alii tantum inscriptionem: *siclus Israel* vetustis Hebraeorum litteris expressam. Primus enim Machabaeorum seu Asmonaeorum Princeps qui monetam cudere permissus est fuit Simon, cui Antiochus Sidetes Rex Syriae anno 130 ante Christum hanc facultatem dedisse legitur 1 Mach. XV, 6.

II. *Nummi aliarum gentium in Scripturis memorati.*

1. *Darkemon*, seu *Daricus*, qui Hebraice vocatur דרַכְמוֹן vel דַרְכָן et in Vulgata modo per *drachmam*, modo per *solidum* vertitur, erat nummus aureus Persarum aequivalens plus minus lib. 18½. (1 Esdr. II, 69; VIII, 27; II. Esdr. 70-72; 1 Par. XXX, 7).

2. *Stater* Στατηρ in N. T. passim recurrens est nummus Graecus eiusdem valoris ac siclus argenteus, pro quo indiscriminatim ponitur.

3. *Drachma* Δραχμα, item moneta Graeca, est quarta pars stateris seu sicli lib. 0,75.

4. *Minutum*, λεπτον, erat minimus nummus Graecorum aereus aequivalens 1/100 centesimo.

Hae quidem Graecae Romanae autem monetae erant sequentes.

5. *As*, seu *libra* aeris erat pondus Romanorum (olim quidem rude, deinde vero *signatum* effigie pecudis unde *pecuniae* nomen). Dividebatur in duodecim *uncias*. Dimidium assis vocabatur *semis*, et notabatur litera S, serius pro semisse dicebant *assarium*, quod tamen in N. T. aliquando accipitur pro toto asse, ut infra dicitur. Valor assis erat circiter fr. 0,50 nostrae monetae. Assaria in una parte effigiem Caesaris (olim Iani) gerebant, in altera vero puppim.

6. *Denarius*, nummus argenteus Romanorum aequivalens 1/16 sicli seu stateris, olim vero 10 *assibus* unde nomen *denarius*.

7. *Assarium*, ασσαριον, seu dimidium assis, nummus aeneus Romanorum, quem tamen Vulgata aliquando *assem* vertit (Math. X, 29): idem ac *semis*.

8. *Dipondium* accipitur pro duobus assariis, seu integro asse Luc. XII, 6 secundum Vulgatam.

9. *Quadrans*, Κοδρακτης, nummus aeneus dimidium assarii valebat, seu quartam partem assis (Math. V, 26).

Plurimi Romanorum nummi adhuc extant, unde eorum forma

ac valor optime dignosci potest. Antiqui *denarii* olim exhibebant ex una parte caput muliebre Romae, vel Victoriae, in adversa parte curram cum duplici equorum iugo: deinceps vero effigiem Caesaris, ut in denario qui Christo oblatu fuit Math. XXII, 19-21. Denarius erat quotidianum militum Romanorum stipendium, quemadmodum drachma militum Atheniensium, item ordinaria mercos diurna pro villicis ad vineam excolendam conductis Math. XX, 2 seq.

ARTICULUS II.

DE MENSURIS LONGIS ET CAVIS

Mensurae apud omnes gentes aliae sunt *longitudinis* ad distantias metiendas, aliae vero *cavae* ad rerum quantitatem definiendam, hae vero rursus vel *aridorum sunt*, vel *liquidorum*. De omnibus his frequens occurrit mentio in Scripturis, ubi tamen notandum est, quod etiam de ponderibus ac nummis duximus, mensuris scilicet Hebraeorum propriis aliarum gentium mensuras passim commiseri, praesertim in libris N. T.

I. *Mensurae longitudinis* numerari possunt sequentes, quas ad mensuram metricam reducemus. Notandum autem est mensuras huiusmodi primitus apud omnes gentes ex corpore humano desumptas fuisse, ut ex earum nominibus apparet: cum vero hominum statura ac dimensiones non ita fixae ac invariables sint, mensurae quoque non parum inter se differunt apud diversas gentes: apud Hebraeos quem valorem praecise habuerint non ita certo constat: si tamen supponamus, cum doctis pluribus criticis cubitum Hebraicum aequalem fuisse Aegyptio, cuius valorem accurate novimus, sequens tabula confici mensurarum potest.

1. *Etsba* אֶצְבָּע seu *digitus* = 0°, 023.
2. *Tophah* תּוֹפָה seu *Palmus* (minor) = 0°, 092, seu quatuor digitis (Cfr. Ex. XXV, 25; 3 Reg. VII, 26; 2 Par. IV, 5).
3. *Zereth* זֶרֶת, seu *Spithama* = 0°, 28. (1 Reg. XVII, 4, 9), vocatur etiam *palmus* in Vulgata, et intelligendus est *palmus maior*, ad distinctionem *Tophah*, quae est *palmus minor*. Designat enim spatium quod intercedit inter extremitates pollicis, et digiti minimi manus expansae.

4. *Amah* אַמָּה seu *cubitus* = 0°, 56, = 2 Spithamis = 6 palmis minoribus = 24 digitis.

5. *Kaneh* קֶנֶח seu *calamus* = 3°, 36. = sex cubitis (Exech. XLII, 16).

6. *Stadium*, σταδιον, mensura Graeca et Romana ab Hebraeis recepta (Luc. XXIV, 13, Io. VI, 9, XI, 18) erat octava pars milliarii = 216°, 23.

7. *Milliarium* Romanum, Graece μίλιον, aequabat mille passus geometricos, ut nunc apud Italos = 8 stadiis (Matth. V, 41).

8. *Leuca* = 24 stadiis, = 3 milliariis.

9. *Iter Sabbati*, ὁδὸς σαββατου (Act. 1, 12) vocabatur a Iudaeis spatium itineris, quod percurrere licebat die Sabbati. Secundum Talmudistas erat spatium 2000 cubitorum, seu fere milliarius.

Aliquando etiam in Scripturis nominatur *iter diei*, quod tamen nonnisi approximative spatium determinat: apud Romanos erat 150 stadiorum circiter (Herod. Lib. V, 33).

II. *Mensurae cavae aridorum ad litrum exactae*.

1. *Kometz*, קֶמֶץ, seu *pugillus*, mensura parva, sed non bene definita (Lev. II, 2, V, 12, VI, 8-9).

2. *Cabus* קַב alia parva mensura aridorum, quam Rabbini aiunt 24 ova gallinae continuisse. In Scripturis dicitur valuisse $\frac{1}{6}$ sati, et $\frac{1}{10}$ ephae.

3. *Gomor* עֶפְרָה = decimae parti Ephae = Litr. 3, 154.

4. *Sea* סָאָה quod redditur, *Modius* vel *Satum* in Vulgata, secundum Rabbinos erat tertia pars Ephae, secundum Hieronymum et Iosephum Flavium valebat modium romanum cum dimidio seu = litr. 10, 514.

5. *Modius* mensura Romana aequivalens tertiae parti *amphorae*. In Vulgata tamen aliquando accipitur pro quacunque mensura.

6. *Epha* אֶפָה mensura Aegyptiaca a Iudaeis recepta, capiebat decem gomor, seu Litr. 31, 54 (Ex. XVI, 36) et respondebat accurate mensurae Bath liquidorum (Exech. XLV, 11).

7. *Corus* כֹּר = decem Ephs = Litr. 315, 43.

8. *Letheg* לֶתֶק dimidium cori = 5 Ephs = Litr. 157, 76.

III. *Mensurae cavae liquidorum*.

Vol. III. Introductio Exegetica.

1. *Log* לֹג in Vulgata *Sextarius*, erat duodecima pars mensurae *Hin*: secundum Rabbinos sex ova capiens = Litr. 0, 438. Erat minima mensura liquidorum (Lev. XIV, 10 seqq. 4 Reg. VI, 25).

2. *Hin* הֵין cuius etiam dimidia, tertia, quarta et sexta pars in Scripturis commemorantur, creditur fuisse sexta pars Bathi circiter = Litr. 6, 46.

3. *Bathus* בַּת pro liquidis eadem erat mensura ac *Epha* pro aridis = Litr. 31, 34.

4. *Chomer* כֹּמֶר, vel *Chor* כֹּר, ut alibi dicitur, 10 Bathos capiebat (Exech. XXV, 14) = Litr. 315, 43.

5. *Metreta*, μετρηται, mensura Graeca (Ioan. II, 63) tertia parte maior erat amphora Romana seu pede cubico Romano, ideoque 1 2/3 pedem cubicum Romanum capiebat.

6. *Nebel* נֶבֶל seu uter, ampla mensura tres Bathos capiens.

7. *Beisa* בַּיִסָּה seu Ovum minima mensura apud Rabbinos aequivalens sextae parti Log.

8. *Arthaba* אֲרֻטָּבָה erat mensura Babylonica memorata Dan. XIV, 2, in descriptione templi Bel: secundum Epiphanium et Isidorum continebat 72 sextarios, seu Log; secundum alios vero maior vel minor fuisset.

9. *Cadus* (Luc. XVI, 26) mensura Romana aequivalerat Batho Hebraeorum, et pro liquidis, in primis vino, adhiberi solebat.

10. *Amphora* mensura Graeca et Romana (1 Reg. I, 24, Zach. V, 6 seqq. Luc. XXII, 10). Amphora Romana capiebat pedem Romanum cubicum, et dividebatur in duas urnas: aequivalerat 48 sextariis, et 80 libris. Amphora Attica seu Atheniensis capiebat tres urnas, 72 sextarios, et 120 libras romanas.

11. *Lagungula*, seu parva lagena, aliquando ponitur in Vulgata pro Hebraeorum batho (Is. V, 40).

12. *Sextarius* mensura Romana in primis liquidorum saepe in Vulgata ponitur pro Log, ut vidimus.

13. *Mensura*, quamvis terminus genericus sit, nonnunquam usurpatur specifice pro Epha Hebraico.

SECTIO IV.

DE ANTIQUITATIBUS DOMESTICIS

Ut in re amplissima brevitati consulamus, pluribus praetermissis, quae vel notiora sunt, vel minoris momenti, summam tractabimus I. De Societate domestica, II. De artibus, scientiis et variis vitae conditionibus, III. De moribus, et conversatione, IV. De domibus, et habitatione, V. De Vestibus, ornamentis et luxu, VI. De animalibus et plantis, VII. De cibis, et conviviis, VIII. De morbis et medicinis, IX. De morte, funeribus, sepultura et luctu.

CAPUT I.

DE SOCIETATE DOMESTICA APUD HEBRAEOS

Agemus primum de societate domestica, quae cum coniuges, filios et servos complectatur, hinc agendum erit primum de matrimonio, et de relationibus inter virum et uxorem, tum de filiis eorumque cum parentibus relatione, postremo vero de servorum conditione.

ARTICULUS I.

DE MATRIMONIIS HEBRAEORUM

Matrimonium, utpote societatis radix ac fundamentum, speciali modo ab ipso Deo sancitum ac sanctificatum est in ipso generis humani exordio, deinde vero per Moysen plures leges ad eius honestatem et sanctitatem tuendam latae sunt.

I. *Matrimonii natura, proprietates, impedimenta.*

Unio maritalis eadem fuit ab initio ac apud Christianos, ad finem scilicet gignendae et educandae proles, et ad mutuum auxilium et individuae vitae consuetudinem, excepta tamen dignitate Sacramenti. Ad proprietates vero quod attinet, quae sunt *unitas* et *indissolubilitas*, decursu temporis apud Hebraeos non parum